

29.8.99

Armin Benedikter, Weinstr.60, I-39050 Giran (Italia), Tel.0039/471/633131, Fax 633047

Rev.mo Domino
P. Eugenio Rissling
Biberacher Str.23
D-89079 ULM

Egr.Domino
Dr.Eberhardt Heller
Postfach 100540
D-80079 MÜNCHEN

Egr.Domino
Dr.Josef Filser
Hangenham 21
D-85417 MARZLING

Rev. Sorori Gertrudi
Schellingstr.136
D-80797 MÜNCHEN

Egr.D.Ilae Fuchs
c/o Schellingstr.136
D-80797 MÜNCHEN

Rev.mis Dominis
P.Ricossa et P.C.Nitoglia
eorumque PP.Confratribus
Istituto "Mater Boni Consilii"
Loc. Carbignano, 36
I-10020 VERRUA SAVOIA (TO)

Ad notitiam:

Exc.mi Domini
P.Roberti F. McKenna OP
Episcopi
MONROE
Connecticut/USA

Exc.mi Domini
P.Raphaelis Cloquell
Episcopi
Beethovenstr.8
D-70794 FILDERSTADT

Rev.mi Domini
P.Jacobi Baird
Beethovenstr.8
D-70794 FILDERSTADT

Res de qua agitur: Excusationis et veniae petitio pro gravissimis offensionibus a me in litteris, quas die 24 Sept. A.D. MCMXCVI Exc.mo Domino P.Roberto McKenna Episcopo dederam, contra acceptores huius epistulae perpetratis

Excellentissimi Domini, Reverendissimi Domini, Egregii Domini, Reverenda Soror, Egregia Dominicella,

his litteris velim a vobis omnibus et singulis excusationem et veniam petere pro gravissimis contumeliis calumniisque, quas in litteris a me die 24 Sept. A.D. MCMXCVI Exc.mo Domino P.Roberto McKenna Episcopo datis contra vos expressi. Quo facilius intelligatis de qua re locuturus sim, eas litteras huic epistulae duplicatas adiunxi. Etiamsi, ut praesumo, non omnes vestrum litteras supra dictas noverint, tamen mihi visum est excusationem veniamque a vobis petere, quia conscientia mea minime quieta esset, nisi hoc facerem.

Generaliter praemittere velim me in scribendis supra dictis litteris tres errores commisisse: et quidem primus in hoc consistit, quod meum non erat ullum iudicium de variis catholicorum coetibus in Germania et Italia operantibus facere. Quis sum, ut mihi liceat hoc facere?

Deinde meum non erat eiusmodi iudicium facere fundamentali praecepto iuridico neglecto et violato, quo admonemur ut, antequam sententia feratur, "audiatur et altera pars".

Denique meum non erat in faciendo iudicio ad personas pertinente verbis uti, quae gravissimas offensiones contra honorem, decorem reputationemque earundem personarum continent.

Singulariter excusationem peto (sequens ordinem in litteris adiunctis servatum, sicut etiam supra in inscriptione feci):

1) ab eis, quos non solum - sine debita causae cognitione - "fichteanos", sed etiam "schismaticos" vocavi; quae denominatio, utpote gravissimum delictum contra Ecclesiae unitatem significans, per se ipsam gravis offensio et diffamatio est, praesertim cum minime constet nec constiterit personas a me ita appellatos realiter aliquid commisisse, quod praedictum nomen odiosum mereretur. Memini eo tempore mihi dictum esse eos aliquo modo Donatistarum (sc. sectae veteris aetatis contra quam sanctus Augustinus vehementer pugnavit) errorem renovare dicentium eum tantum episcopum vel sacerdotem Sacramenta valide administrare, qui orthodoxus esset et in statu gratiae versaretur. Sed, ut supra dixi, nullo iure haec suspicio sine examine causae et sine „auditione alterius partis“ mihi vera ac valida habenda erat, etiamsi mihi concessum esset – revera autem non licuit – iudicis partes agere. Praeterea nudum factum quod a defuncto Exc.mo Domino Dr.Günther Storck in seminario suo Monachensi etiam doctrina philosophica a germanico philosopho Fichte excogitata, quae „transcendentalis“ vocatur, docebatur vel tractabatur, minime sufficit ad eos contemptim „fichteanos“ appellandos, qui hanc docendi methodum adhuc defendunt ac legitimam putant;

2) ab eis, quibus crimini dedi eos contra ecclesiasticam disciplinam dominium laicorum in regimine Ecclesiae instituere velle, quia etiam talis imputatio prius examinanda erat, verane esset an non. Praeterea eos inhonestis causis motivis motos agere scripsi - sed quis causas motivas cognoscere potest? Denique casum tristissimum sacerdotis, qui officium suum deseruerat, eisdem personis crimini dedi, etiamsi nemo scit quaenam realis causa illius defectionis fuerit;

3) ab eis, quibus crimini dedi quod "antifichteanos" contra "fichteanos" pugnantem non sustentarunt, sed neutraliter se gesserunt. Apparet enim hanc accusationem plane absurdam esse quippe cum minime constet nec constiterit, quod reale causae obiectum fuisset cumque personae a me ita offensae certe bene fecerint, quod in quaestionibus tam dubiis neutraliter se gererent. Iniustissime autem egi eisdem personis tristissimum casum Exc.mi Domini Munari crimini dans inhonestasque causas motivas adscribens.

Non satis saepe dicere et iterare possum me litteras offensivas, de quibus agitur, libere et deliberate scripsisse nec ab alio quodam coactum esse hoc facere. Ideo ego, ego solus de his contumeliis calumniisque rationem reddere debeo.

Etsi id sperare non audeo, tamen omnes personas, quibus iniurias intuli, precor non solum ut mihi ignoscant, sed etiam ut me aliquo modo certiores faciant se mihi indignissimo veniam dare.

Valete! Benedicamini a Domino!

Animum Benedikter

Dabam Gírlan, die 29 Augusti, A.D. MCMXCIX (1999)



Deutsche Post

R 04 3214 1581 ODE

R

<input type="checkbox"/> Einwurf- Einschreiben	<input checked="" type="checkbox"/> Übergabe- Einschreiben (Recommandé)	<input type="checkbox"/> Eigenhändig (A remettre en main propre)
<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/> Nachnahme (Remboursement)	<input type="checkbox"/> Rückschein (Avis de réception)

GK 912-666-300



1826
R 3120



A.R. 11.09.99.

Dr. Eberhardt Heller
Postfach 100540

D-80079 MÜNCHEN